

**GRADIBUS** differunt solummodo, nam juxta Galenum in *comm. 1. aphor. 14.* ὁ πυρετὸς γίνεται τροπῇ τῆς ἐμφύτης θερμότητος ἐπὶ τὸ πῦρ ὡδές, febris fit conversione caloris nativi ad igneam naturam. ἢ δὲ γὰρ τῶν πυρετῶν ἕσσις ἐστὶν ἡ ὡδὴ φύσιν θερμότητος. *Essentia quippe februm est præter naturam caliditas*, tradit Galenus *6. epidem. comm. 1. c. 29.* Conversione istâ caloris nativi in calorem præternaturalem & igneum non evertitur temperamentum hominis absolutè, sed tantùm hominis sani. Immutatur temperamentum corporis partium similarium, quâ immutatione actiones illarum læduntur.

Non quidem illicò adest febris, cùm adest intemperies calida, quæ simplici & aliquali fit alteratione, sed tunc demùm, cùm ita convertitur, ut sit proximæ dispositionis ad ignis formam suscipiendam. Intereâ caliditas tam arctè febrì ardenti est conjuncta, ut hæc sine illâ stare nequeat.

Quæstio adnectenda nunc venit, medicos inter præcticos variè agitata; *an siccitas sit de essentiâ febris ardentis?*

*Affirmativam* nonnulli proceres probare & defendere conantur ex *1. apb. 16.* quò Hippocrates febricitantibus humidum victum conferre & utilem esse asserit.

*Capivaccius lib. 6. præctice cap. 2.* & *Horatius Augenius lib. 1. de febribus* affirmativam amplectentes variis pugnant rationibus, quibus jam recensendis nolumus immorari.

*Contrarium* verò evincunt viri gravissimi, quos inter sidus Academiae fulgidum, magnus noster Æsculapius, ROLFINCIUS, æternâ famâ illustris ac perennis, coruscat eminentissimè. Hic locò omnium uti æstimatur, ita in nervosissimâ decisione, *ordine & methodò de febribus generali c. 6.* factâ, quâ siccitatem in febre quidè non negat, eam autem magis effectu, quàm affectu: effectivè magis, quàm formaliter: virtualiter magis, quàm essentialiter: per concomitantiam magis, quàm per essentiam: potentiâ magis, quàm actu ad febrim pertinere, asserit, meritò acquiescimus. Febris enim dupliciter consideratur: 1. in suò esse formali, & sic est intemperies calida tantùm. 2. in esse causali & effectivè, & hæc ratione ipsi siccitas jungitur. Virtualiter febris est morbus exiccativus, licet non sit siccus formaliter.

Sen-